



ULB Halle 3
005 090 75X



OP B 200, Kapsel (32)





D. O. M. A.
DIATRIBE PHILOSOPHICA
De
QVÆSTIONE:
An Deo conveniat
Scientia Media?

Quam
SUB PRÆSIDIO
VIRI Præ- Eximii ac Præclarissimi
DN. M. GEORGII Schwarzen/
Greifsvyald. Pomeran,
FAUTORIS mei & Studiorum PROMOTORIS
plurimum colendi,

In
Illustri ad Albim Academiã
Ad D. XVI. Novembr. A. C. clc LXXVIII.
publicæ philosophantium *Agoné* seu submitto
AUCTOR RESPONDENS
JOH. CHRISTOPH. ROSTEUSCHERUS,
Gedanensis,
Horis Locoq, consuetis.


WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.

D. O. M. A.
DIATRIBE PHILOSOPHICA
IN
QUESTIONE:
AN THEOCONVULSI
SICUTI MEDICI
SOPRA
L'ESISTENZA DELL'ANIMA
DM. M. GEORGII JOHANNIS
Candidatus Philosophiae
AUCTOR
Lobii ad Albin Academia
ADD. VI. Novemb. 1717. C. 2. LXVIII
AUCTOR RESPONDENS
JOH. CHRISTOPH. ROSTERBERGIIUS
Candidatus Philosophiae



083 200, Kapsel (32)





Ἐν Θεῷ Παλάμῳ

§. 1.



Um manca sit & exigua, quæ amissâ imagi-
 ne primævâ in animis mortalium superstes re-
 mansit ΘΕΟΓΝΩΣΙΑ, ardentissimo studio
 contendendum eò unicuiq; est, ut exactam accu-
 ratamq;, quoad quidem intellectûs humani pa-
 titur imbecillitas, vel divinis patefactam literis; vel patentissimo
 & omnium exposito oculis solertis naturæ codice comprehensam
 supremi rerum omnium Conditoris Notitiam consequatur. Etsi
 autem dubium nullum est, divini Numinis cognitionem ex inex-
 hausto sacratissimarum literarum fonte multò integriùs solidiùsq;
 quàm è naturæ penu posse peti, negari tamen non debet, magnam
 illius notitiæ partem ex assiduâ rerum conditarum, opumq;, quas
 benigna omnium nutrix Natura sinu suo fovet, contemplatione
 posse acquiri. Ita enim Gentiles, cum nullâ æternæ veritatis luce
 collustrati, nec cœlesti imbuti doctrinâ essent, solâ rationis face
 prælucente eò progredi potuère, ut non solùm Deum aliquem u-
 niversitatis hujus auctorem & effectorem faterentur, quod omniâ
 jam ab ætate primâ adeò infixum esse animis rectissimè judicat Ci-
 cero l. i. de nat. Deor. ut nulla gens aut genus hominum sit, quod
 non ἠπίληψιν, seu Epicuri vocabulo ἀπίληψιν quandam & anti-
 cipationem de Deo habeat; sed attributa quoq; divina & effectus
 sapiētissimos e solâ creaturarum consideratione & pervestigatione
 indefessâ distinctè cognoscerent. Quod tot egregiæ in scriptis gen-
 tilium passim obviæ testantur sententiæ, quibus Deum ut πανδερ-
 στον, πανσοφον, πανακήρατον, παντοδύναμον, παγκοίρανον καὶ τῷ
 παντός ψύχωμα venerantur. Docent idem oraculorum responsa,
 quæ quoties de futuris dubiisve consuluit falsâ opinione fascina-
 ta, & divinitus immissum, quicquid ex oraculis proficisceretur, ar-
 bitrata gentilitas: toties divinæ omniscientiæ & futuri à divino

Α 2

intel-



intellectu præcogniti luculentissimum præbuit testimonium. Solum enim naturæ lumine patebat gentilibus, scientiam Dei nullis terminari limitibus; sed omnia ipsaq; futura, quæ creato ac finito intellectui ἀφανῆ esse verissimè asserit Philosophus 1. Ἡθικ. ambitu suo complecti. Labet hæc paulò sollicitiùs excutere, & divinam futurorum Notitiam, non quidem absolutè talium, sed contingentium conditionatorum, quæ ante voluntatis divinæ actum Deo competere à nonnullis negatur, prout ingenii mei fert tenuitas, expendere, cùm plurimùm hæc doctrina in Theologiâ utilitatis habeat; quo de videatur *Magnif. DN. D. CALOVIIUS Dominus, Patronus, Præceptor atq; Hospes meus æterno observantiæ cultu devenerandus, System. Theol. Tom. 2. c. 10. Q. 5. p. 574.* Intra præscriptos itaq; à Philosophiâ, unicè circa ea, quæ naturaliter de DEO rebusq; que divinis cognosci possunt, occupatâ cancellos mansuri, sequens (quod secundante divini Numinis fiat gratiâ!) ventilabimus Problema: *An divino intellectui conveniat futurorum sub hypothese Scientia, quæ communiter Media appellatur.*

§. 2. Ut autem inoffenso pede in arduæ hujus, multisq; involutæ difficultatibus Quæstionis decisione progredi liceat, operæ pretium fuerit in antecessum de ratione nominis & appellationis, quæ divinæ futuribilium scientiæ tribui solet, pauca adnotare. Quæ ut constet, attendendum, Scientiam Dei etsi in se una sit & simplicissima, cùm essentiæ in Deo simplicissimæ identificetur, ratione tamen ratiocinatâ per conceptûs inadæquatos ex modo sciendi nostro desumptos, & ad modum sciendi divinû applicatos, pro diversâ ad objecta habitudinæ & ἁίσεως variè distingvi, in Scientiam simplicis Intelligentiæ, Scientiam Visionis & denique Mediam, Priorem dicunt, quod sit, quâ Deus seipsum & extra se omnes res posibles ante omnem liberæ voluntatis actum comprehendit; alteram, quâ Deus post voluntatis liberæ decretum extra se res omnes in certâ temporis differentiâ existentes, præteritas sub ratione præteritionis, præsentis sub ratione præsentialitatis, determinatè futuras sub ratione futuritionis cognoscit. Solet utraque à Scholasticis aliis etiam insigniri nominibus, prior quidem Abstractiva vocari, quia visionem rerum non supponit; sed ab eâ quasi abstrahit res, quæ per eam cognoscuntur, ut rationem appellationis reddit *Fonseca 6. Met. Arist. 6. 2. Q. 4. sect. 8.* altera Intuiti-

tuitiva, quòd eùm supponat simplicis Intelligentiæ scientiam, si-
mul addat intuitum rerum earundem, quas quasi abstractas more
concupiendi nostro (nec enim revera divinus intellectus utpote
perfectissimus, abstractivè rem ullam cognoscit) ab existentiâ co-
gnoverat: illa Antecedens, quia in signo rationis actum liberæ vo-
luntatis omnem antecedit; hæc Consequens, quia decretum præ-
supponit, adeoq; hunc actum demum quoad conceptum nostrum
subsequitur. In primis frequens tritumq; est in Theologorum pa-
riter ac Philosophorum Scholis, ut simplicem Intelligentiam (quæ
etiam Puræ Apprehensionis Scientia dicitur *Excellentiss. Dn. Schel-
guigio Dn. Fautori, Præceptoris, Studiorumq; meorum Promotori omni
observantiæ genere atatem prosequendo, in Id. Pnevmat. §. 65.*) Natu-
ralem, alteram Liberam appellent. Naturalis salutatur illa, non
eo sensu, ac si eam solam Deus ex se suâq; naturali perfectione ha-
beret; nec enim dubium ullum, quin Deus hæc omnia sciat per na-
turalem sibi scientiam, eoq; nomine tam scientia Visionis, quàm
simplicis intelligentiæ mediâq; comprehendi debeat, cùm Deus
non gaudeat adventitiâ & extraneâ scientiâ; verùm, quicquid scit,
ex intrinsecâ & naturali perfectione & comprehensione sciat, ut
rectè monet *Suaraz. Lib. 2. de Cond. Scient. c. 3.* sed eam ob causam,
quia prorsus est necessaria, nec ullo modo libera, ex parte etiam
objecti, ad quod necessario illud cognoscendo actu terminatur.
Altera cognitio Libera audit ex eâ ratione, quòd, quæ per eandem
Deus tanquam futura prævidet, potuisset etiam pro libertate suâ
non cognoscere, si scil. nihil quicquam divina voluntas produce-
re vel permittere decrevisset; aliter, ut cum Naturali scientiâ com-
paratum erat, quæ cum potentiâ Dei naturali eatenus convenit,
quòd uti illa positis omnibus ad agendum requisitis non potest
non agere: ita etiam hæc res in statu meræ possibilitatis spectatas
non possit non cognoscere. Nonnulli cum Fonscâ l. c. discrimen
quoddam, quod inter Simplicis Intelligentiæ scientiam & Natu-
ralem, Visionis item & liberam intercedat, agnoscunt. Quibus
etsi nullam hac de re controversiam facere volumus, sequimur ta-
men meritò *Magnificum Summèq; Rev. DN. D. CALOVIIUM &
Excell. Dn. Prof. W. ALTHERUM, Dnn. Patronos ac Præceptores no-
stros, aternis animi observantissimi obsequiis submissè colendos, qui
locis mox allegandis omnimodam inter hos terminos τὰυτὸντὰ*

A 3

admittere

mittere videntur. *Magnif. enim Dn. D. Calov. Tom. 2. Syst. Theol. p. 427.* postquam traditâ descriptione scientiæ visionis & simplicis Intelligentiæ docuit illâ intueri Deum omnia, tanquam præsentia, videre seipsum in seipso, & res alias, tum in se ceu causâ universali, tum in causis proximis, tum in seipsis; hæc novisse Deum, quæ possunt fieri, in suâ omnipotenti essentiâ, non ut in principio actuali, nedum in causis proximis, vel seipsis, cum nunquam futura sint: addit statim utriusq; scientiæ *πολυώνυμα*, & in eorum censum etiam refert Liberam, quæ cum Scientia Visionis, & Necessariam Deoq; naturalem, quæ cum simplici intelligentiâ conveniat. Conf. etiam *Tom. 2 p. 520. 521.* Similiter *Excellentissimus Dn. Prof. Waltherus Coll. Pneum. MSS. Sect. 1. cap. 7. Præc. 3 §. 2.* terminos hosce æquipollere docet. Statuunt idem *Dn. D. Rudrauf Trig. dissert. p. 35.* & *Dn. Hundeshagen Theol. Nat. p. 126.* nec è Scholasticis aliter *Suarez. de Fut. cont. Scient. L. 2. c. 3.* & *Becanus Theol. Schol. Tom. 1. c. 10. Quæst. 11. n. 2.* Conf. etiam *Hurtadus de Mendoza P. 2. disp. 9. sect. 6. §. 76.*

§. 3. Huic Scientiæ simplicis Intelligentiæ & Visionis, seu Naturali & liberæ (quæ *ισοδυναμῆντα* sunt) contradistinguitur Media, quæ tertium erat divisionis ante suppositæ membrum hoc loco præcipuè expendendum. Dicitur Media in respectu ad utramq;, quod utriq; ex parte respondeat, & ab utriusq; conditione participet, licet ad alterutram in totum non pertineat. Cum simplici Intelligentiâ eatenus convenit, quòd & hæc & illa omne in ordine & signo rationis præcedaneum decretum actuale voluntatis liberæ excludat; cum visionis seu liberæ, quod juxta hanc & illam pro libero arbitrio res futuras sub futuritione Deus posset non cognoscere, si statuisset non producere, *V. Becan. Theol. Scholast. l. c.* Si cornicum configere oculos & de voce solliciti esse vellemus, accuratiùs eandem Mediatorum i. e. conditionatorum diceremus, ut respectus tantùm ad objectum intelligibile, quod unice respicit, non verò ad modum intelligendi divinum referretur quod monitum supeditat *Dn. D. Schertzer. Diss. Inaug. §. 79.* *Petro Fonseca*, qui primum se doctrinæ de Scientiâ Mediâ auctorem jactitat, *6. Metaph. c. 2. Q. 4. Sect. 8.* alio quoq; nomine Mistra dicitur. *Suarezio, Mendoza c. 1.* & nonnullis Scholasticorum Conditionata audit, non ex parte DEI, quasi illa nondum sit in DEO: sed po-
sita

sitâ conditione aliquâ demum ponenda; quia illa actu æquè ac simplicis intelligentiæ & Visionis DEO inest; sed ex partè Objecti, quandoquidem pro Objecto habet res ex præsuppositione futuras, seu tales, quibus absolutè non convenit ulla futuritio, sed dependenter ab aliquâ conditione.

§. 4. Solet aliàs Objectum Mediæ Scientiæ uno exprimi nomine, diciturq; esse Futuribile sive ejusmodi quid, quod nunquam futurum est, esset tamen futurum si talis aut talis poneretur conditio, ut formalem ejus rationem exprimit *B. Danhaerius, Hodom. Spir. Cal. P. 1. Phant. 3. p. 763.* Ex quo apparet diversum id esse ab utriusq; scientiæ tam naturalis, quàm Liberæ s. puræ Apprehensionis & visionis objecto, distinctamq; divinæ scientiæ in signo rationis constituere quasi speciem. Quodnam simplicis intelligentiæ & Visionis Objectum sit, liquet præcedentibus. Optimè *Thomas Part. 1. Q. 14. a. 9.* de utroq; differit: Quædam licet non sint nunc in actu tamen vel fuerunt vel erunt. Omnia ista dicitur DEUS scire scientiâ Visionis. Quia cum intelligere DEI, quod est ejus esse, æternitate mensuretur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus DEI fertur in totum tempus & in omnia, quæ sunt in quocunq; tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter. Quædam verò sunt in potentiâ DEI vel creaturæ, quæ tamen nec sunt nec erunt nec fuerunt. Et respectu horum non dicitur habere scientiam Visionis, sed simplicis Intelligentiæ, quod ideò dicitur, quia ea, quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem. Differt itaq; Objectum Mediæ Scientiæ ab Objecto Apprehensivæ, quod illud sit purè possibile, quòd in possibilitatis spherâ manet, hoc futuribile, quod nullatenus cum absolutè possibili confundendum; uti quidem facit *Gvilielmus Tuvysius* in spisso, quod contra Penottum & Svaregium mediæ scientiæ defensores conscripsit, opere fol. 109. & 194. & *Voetius Sel. Diss. Tom. 1. p. 257.* Ab objecto Scientiæ Visionis in eo discrepat Mediæ Objectū, quod illud absolvant futura absolutè talia, quæ re ipsa existēt aliquâ temporis differentiâ seu necessariò seu contingenter, à quâ existentiâ, quia absolutè est existentiâ, dicuntur futura absolutè, ut habet *Hurtad. de Mendoza, P. 2. disp. 9. Sect. 6. §. 76.* Hoc a. solum contingentiâ futura, sub conditione non
quidem

dem necessariò effectum inferente, sed contingenter, quâ nunquam in actu positâ nec res ipsæ è conditione fluentes futuribilitatis statum egrediuntur. Antiqui Patres & Scholastici, quibus ignotum fuit Mediæ Scientiæ nomen, etsi rem ipsam literis tradidêre, quod prolixè docent *Svarez. cit. Lib. 2. cap. 2. p. 416. Vasquez. 1. Thom. a. 13. Qv. 14. d. 670. n. 6. Becanus Tom. 1. Tb. Sch. c. 10. Qv. 5. n. 4. Penotus Lib. 3. P. L. H. c. 25. seqq. Petavius Theol. Dogm. Lib. 4. c. 8. p. 279.* Objectum ejus retulerunt vel ad Scientiam Visionis, quatenus latius sumpto termino notat talem, quæ pro Objecto habet existentiam indifferenter seu absolutam seu conditionatam præciso voluntatis actu, qui aliàs in ordine ad cognitionem simpliciter futurorum antecedenter se habet: vel (quod verisimilius cum *Vasquezio l. c.* dicitur) ad scientiam simplicis intelligentiæ, in quantum extenditur ad quodvis possibile, quod nunquam absolutam reipsâ habiturum est existentiam, quò etiam ex Reformatis *Ludov. Crocius in Synt. p. 575. & Dissertat. 6. p. 334.* eam relatam voluit. Verùm cum peculiare & distinctum adesse Objectum ostensum sit, consultius fuerit novam admittere divinæ scientiæ speciem, adeoq; tertium divisionis ante recitatae retinere membrum, ne voce sublatâ res sub eadem comprehensa dispereat. Videtur nova hæc scientia solùm quoad nomen: Res enim ipsa satis antiqua est, hoc autem non est magnum in conveniens: sæpe enim inveniuntur nova nomina ad res melius explicandas dicimus cum *Svarez cit. L. 2. c. 3.*

§. 5. Describitur eo pacto, quod sit Scientia, quâ DEus ante decretum liberæ voluntatis non absolutè, sed sub conditione cognovit, quid agentia Libera factura essent, si cum his aut illis circumstantiis in tali vel tali rerum ordine ponerentur, etsi illa nunquam eveniant. Aliis verbis eandem descriptionem proponit *Lud. Molina*, primus post Fonsecam Mediæ Scientiæ defensor, quando ad *1. Thom. 14 a. 13. d. 17.* *Scientiam esse ait, quæ DEus ex altissima & inscrutabili comprehensione cujusq; liberi arbitrii intuitus est, quid pro sua innatâ libertate, si in hoc vel illo vel infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum esset, cum tamen posset, si veller, facere oppositum.*

§. 5. Colligi autem ex illis, quæ partim ad intelligendam nominis rationem, partim ad rei ipsius naturam eò melius percipiendam

dam breviter differuimus, nullo negotio potest, quæ circa præ-
sentem controversiam, in quâ disquiritur, Utrum Scientia Media,
qualem descripsimus, divino conveniat intellectui, nostra sit sen-
tentia. Affirmativam amplectimur persuasi rationibus non exi-
gui momenti, quarum nonnullas, in quibus potissimum situm esse
robur videbitur, colligemus, & pro roborandâ assertione nostrâ in
scenam proferemus. Primum sententiæ nostræ firmamentum
petimus ex actuali, quam DEUS de futurilibus habuit, prævi-
sione. Argumentamur: *Quod actu ipso à Deo præcognitum fuit,
illud cadit sub divinum intellectum. Atqui Futuribilia actu ipso à
DEO præcognita fuere E.* De Majoris veritate lis moveri nulla
potest. Minori lucem foenerantur sacræ literæ, quæ futura con-
ditionata ex libero creaturæ arbitrio pendentia à DEO ante actu-
ale voluntatis decretum infallibiliter præcognita esse non uno do-
cent loco. Illustris imprimis locus, quem Theologi pariter ac
Philosophi frequenter urgent, reperitur I. Sam. 13. 12. quando Da-
vid divinum Numen consuluit, An, si persisteret Keilæ, urbi signa
illaturus esset Saul, & num Sauli urbem obsidione cingenti Keilitæ
Davidem essent tradituri; ad utrumq; affirmativè DEUS respondit,
quòd positis hisce impletisq; conditionibus liberis, quarum Da-
vid meminerat, certò illa essent eventura, quæ tamen Davide fugâ
sibi consulente non evenêre, cùm conditiones, à quibus depende-
bant futura Conditionata, nunquam in actu fuere positæ. Infal-
libiliter DEUM hæc scivisse dubium nullum est. Tribuere enim
DEO scientiam conjecturalem tantum, & non omninò certam, cer-
tæ est ignorantia & erroris capacem ipsum asserere. Nam si Deus
conjecturâ tantum assequeretur hæc futura, nihil obstare posset,
quò minus scientia ejus non attingeret id, quod reverâ esset futu-
rum & affirmaret fore, quod futurum non esset. Nec impediret
quicquam, quò minus deciperetur; deceptio enim in hoc confi-
stit, ut quis asserat vel putet fore, quod revera futurum non est:
si ergo scientia DEI non necessariò sequitur res ipsas, sicut sunt;
sed potest DEUM aliquid revera latere, quantumvis optimè conje-
cturam faciat, ejus scientia fallax esse potest, ut recte concludit
Vasquez in I. Thom. Q. 14. a. 13. d. 67. n. 10. Neq; verò cognovit il-
la post voluntatis suæ actum. Quanquam enim illi sub condi-
tione futuri effectûs, Saulis putâ appropinquatio & Keilitarum
B tradi-

traditio, si futuri absolute fuissent, & actum Entitativum causis secundis conditione revera posita ad agendum semet determinantibus certo consecuturi, non nisi a divina voluntatis actu dependenter prodissent, nunc tamen cum e futuribilitatis statu non emerferunt, nequeunt dici a DEO post voluntatis decretum esse cogniti, quia nullum actuale decretum antecessit, quo ad absolutam existentiam fuissent determinati. Addi loco allegato ex V.T. possunt alii I. Reg. II. v. 2. Ezech. 3. v. 7. In Novo foedere pro confirmanda Minore facit dictum Christi Matth. II. v. 28, quod iterato descriptum legitur Luc. 10. v. 13. in quo Salvator noster se prescire testatur Tyrriorum & Sidoniorum poenitentiam ceu futuram, si conditio in actu fuisset posita, tantaq; signa, quanta Christi tempore edebantur, eorum aeo quondam fuissent edita. Pertinet huc Matth. c. 24. vers. 22. itemqve Joh. 6. vers. 15. ubi Christus praevidisse dicitur edito miraculo venturum populum & Regiam ipsi dignitatem oblaturum, quem locum praecipue urget & vindicat *Penottus Prop. L. H. l. 3. c. 27.*

§. 7. Alteram rationem, quae in Deo dari notitiam futurorum ex hypothesis demonstrat, suppeditat modus sciendi intelligendiq; divinus, qui summe est perfectus tam extensive, quam intensive. Tribuimus scientiae DEI perfectionem intensivam, non eo sensu, ac si in eam caderet intensio aliqua gradualis, qualis dari dicitur in qualitatibus, cum exploratissimum sit, haec nullatenus locum reperire in entitate simplicissima & substantiali; sed quatenus denotatur eminentissima perfectio, ultra quam progredi non liceat, quam scientia divina habet in omnibus conditionibus seu proprietatibus perfectae scientiae. Talis in ea datur perfectio intensiva, quae nullam admittit additionem, nullam subtractionem, nec accessum ullum aut defectum patitur. Est etiam perfecta extensive, non quoad extensionem entitativam ex parte ipsius scientiae, quandoquidem per se patet, indivisibilem Dei essentiam hujus extensionis non esse capacem, sed ex parte objecti, quia scientia in se existens simplicissima, quaecunq; rationem cognoscibilitatis habent, necessario actu complectitur. *V. Suarez Disp. Metaph. 30. Sect. 15. n. 19.* Proinde ita concludimus: *Cujus scientia est summe perfecta, ut perfectionis nihil super addi possit, ille res omnes & consequenter futura quoq; conditionata prescit. Sed divina scientia est summe*

summè perfecta &c. E. Majoris sequela firma est. Implicat enim scientiam dicere perfectam summè & omnibus absolutam numeris, quæ nonnulla, quæ cognoscibilitatis rationem habent, (qualia esse futuribilia constabit ex sequentibus) non cognoscit. Ita enim manca foret & mutila, cùm non ad omnia se extenderet. Minor ex dictis est manifesta & patet inde, quod, cùm essentia Dei infinita sit, non possint non omnia attributa à parte rei ipsam essentiam involventia eamq; intrinsecè denominantia summæ esse perfectionis, nec ullus defectus aut imperfectio absq; impietate in illis concipi. Complectitur enim infinitas omnem perfectionem eaq; positâ nil deest perfectioni DEI, quæ verba sunt *Magnificè Dn. D. Calovii Tom. 2. Syst. Theol. p. 216.* Vide plura in hanc rem apud *Gilium Libr. 2. Tr. 1. c. 9. & Tract. 9. c. 22.*

§. 8. Probatur III. assertio nostra ex infallibili divini Numinis circa res omnes providentiâ. In majorem rei evidentiam tale formamus ratiocinium. *Quic. infallibili providentiâ res omnes complectitur, ille etiam necessario præcognoscit futuribilia. Deus providentiâ infallibili &c. E.* In Minori confirmandâ non est, quod multum laboremus, cùm nemo in fructu adeo fuerit ingenii, qui falli DEUM posse in providendo dicere voluerit. Et illud in confesso est, alibiq; solidè confirmatur, versari providentiam DEI circa omnia, maxima, mediocria & minima, naturalia & voluntaria, substantias & accidentia, bona omnia & mala, ut, quod exemptum sit, nihil cogitari possit. In cœlestibus pro objecto habet Angelos, pulcherrimamq; variis sideribus interstinctam Cœli Machinam; in sublunaribus primarium Objectum homo est, secundarium reliqua creata omnia, inanimata pariter ac animata, ne vilissimis quidem & abjectissimis exceptis. Pro Majori sequens militat *συλλογίζων λόγος*: *Quic. liberos eventus omnes è suppositione futuros præcognoscit, ille præcognoscit Futuribilia. Atqui, Quicunq; infallibili providentiâ complectitur omnia, is liberos eventus omnes è suppositione futuros præcognoscit E.* Majorem satis probat natura & formalis ratio futuribilium, quæ in eventibus liberis ex conditione futuris consistit. Minorem ita demonstramus: Secundum diversa instantia & momenta, quæ intellectus nostri imbecillitas in divinitate concipit, tres distincti statuuntur actus formales, è quibus providentia in sensu generali sumpta

sumpta non intercedente tamen ullâ reali compositione constituitur. Primus est *ἡ γνώσις*, quâ DEUS omnia, quæ rationem cognoscibilitatis habent, antequam actu existant, cognoscit, alter *πρόθεσις* seu decretum & deniq; *διορισίς* s. ordinatio, & specialiter ita dicta, & à nobis impræsentiarum intellecta providentia. Eorum actuum cum unus in signo rationis & in ordine ad nostrum concipiendi modum antecedit alterum, evincitur, prærequiri præcognitionem earum rerum, circa quas infallibilis DEI providentia debet occupari. Quæ itaq; futura DEUS non præscit, ea, ubi in actu ponuntur, illo inscio nec providente fieri dicenda erunt. Quod cum *ἀποπροσῆ*, & è modò dictis liqueat, divinam providentiam se extendere ad omnia, palàm est, DEUM contingetia tam absolutè quàm conditionatè futura præscire, cum præsertim, ut probè monet *Hornbeck. Confut. Socin. pag. 347.* contingetia potissimam rerum omnium partem ac momentum faciant, quibus à divinâ scientiâ semotis quanta rerum pars ei subtrahatur, quantaq; inferatur imperfectio, quam de infinito Numine ne cogitari quidem posse modò docuimus, quilibet haud difficulter intelligit. Reverà imperfecto modo procederet DEUS (scribit *Suarez. cit. Lib. 2. c. 4.*) si non præsciret, quid ex omnibus suis ordinationibus vel permissionibus eventurum donec effectus ut jam factos prævideret : alioqui necesse esset illum quasi dubitando & tentando procedere, præsertim in effectibus causarum liberarum & motionibus earum, ita ut non possit DEUS, postquam aliquid permittit, definitè statuere quod inde pendet, nisi prius veluti expectet, ut videat, quid causa secunda efficiat, & sic de aliis. Quæ omnia minùs consentanea sunt perfectioni divinæ providentiæ, quæ multo excellentior fuerit, si prævidens omnia, quæ quovis modo possibile sunt, & etiã futura à causis secundis, si illæ procreentur, & virtutem facultatemq; operandi accipiant, omnia ordinet & disponat, juxta sapientiam & voluntatem suâ.

§. 9. IV. Demonstratur dari mediam scientiam ex Objecti conditione, quod determinatæ & definitæ est veritatis. Rectè concludit *Becanus Tom. 1. Theol. Schol. Tract. 1. c. 10. Q. 11.* Certitudo præscientiæ futurorum proximè oritur, ex veritate futurorum contingentium, intellige ex parte rei cognitæ; nam ex parte cognoscentis oritur ex infinitâ vi intellectûs: Si ergò quæram: quare DEUS certo cognoscat futura contingetia, optimè respondetur, quia

quia habent determinatam veritatem. Ratio, quam non addit Be-
 canus, in aprico est. Ens enim verum & intelligibile, ut termini
 convertibiles, retrocurrunt, & de se invicem ἀντιπροσφωσ prae-
 dicantur. Quod determinatum esse non habet, & proinde non est
 determinatè verum, illud etiam à parte rei non est intelligibile, se-
 cundum illud Aristotelis: ἔτι ἐστὶ τὸ μὴ ὄν ἐπιστάζον. Eadem hic
 obtinet ratio scientiæ divinæ, quæ potentiæ. Potentia Dei utut
 infinita sit nullisq; limitata terminis, non extendit tamen se ad
 ea, quæ rationem factibilitatis non habent, qualia sunt, quæ con-
 tradictionem involvunt. Ita etiam scientia divina, utut infinitæ
 identificata essentiæ, cognoscere tamen non potest, nisi quod ra-
 tionem cognoscibilitatis habet, & sub intellectum cadere aptum
 natum est. Quod autem futuris contingentibus sub hypothesi
 competat determinata veritas, id enunciationes de iisdem formatæ
 planum reddunt, quas determinatè veras esse sequenti evincitur
 argumento: *Quæ Enunciationes formalem continent contradic-
 tionem, illarum una est determinatè vera. Atqui enunciationes de fu-
 turis formalem continent, &c. E.* Majorem firmat natura
 contradictionis, quæ si legitimè & ὄντως talis est, semper verum
 à falso discernit, ita ut altera ejus pars cum veritate conveniat,
 altera ab eadem dissonet. Utraq; non potest esse vera nec falsa, si-
 quidem altera è contradictoriis dicit esse, altera non esse. Est au-
 tem prorsus ἀδύνατον τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν, καὶ μὴ ὑπάρχειν,
 quod principium ἀναπόδεικτον Philosophus proponit 4. *Me-
 taph. c. 3.* Minor ex inductione exemplorum dispalescit, quorum
 etsi ingens ac propè infinita seges se offerat, suffecerit saltem u-
 num, quod etiam *Fonseca in Metaph. Arist. L. 6. c. 2. Q. 4. sect. 9.*
 adhibet allegasse, ex quo aliorum similis constabit ratio V. G.
 Si Jonæ, cùm ex mandato divino Ninivitis prædicavit, eosq;
 hunc in modum allocutus fuit: si pœnitentiam non egeritis, Nini-
 ve subvertetur alius ex adverso opposuisset: Non, si pœnitentiam
 non egeritis, Ninive subvertetur, formalis utiq; constituta fuis-
 set contradictio, eodemq; modo, si post elapsos quadraginta dies
 dicenti Jonæ: Si pœnitentiam non egissetis, Ninive everfa fuisset,
 obvertisset alius: Non si pœnitentiam non egissetis, Ninive sub-
 versa esset, constituta similiter fuisset contradictio. Cùm igitur
 hæ duæ affirmativæ determinatè veræ fuerint, & oppositæ negati-

væ determinatè falsæ, quod patet ex oraculo Prophetico, & u-
traq; affirmativa sit purè conditionata, quia nec incolæ urbis
pœnitentiam neglexerunt, nec civitas eorum everfa est: manife-
stum est in conditionatis omnibus futuris deprehendi determi-
natam veritatem, ac proinde eas; certò, si non ab humano, certè
tamen ab intellectu increato ac infinito cognosci posse & ex æ-
ternitate cognitæ fuisse. Quæ in contrarium moveri solent, in-
feriùs in ἀναλύσει τῶν ἐγκλημάτων diseutiendi dabitur occasio,
Conf. Hurt. de Mendoza Disp. 9. Sect. 6. §. 83. seqq.

§. 10. Rationem V. depromimus ex proportione illâ, quæ in-
ter futura contingentia absoluta & conditionata datur. Si futu-
ra contingentia absoluta rationem cognoscibilitatis habent, & ab
infinito supremi Numinis intellectu infallibiliter præsciri pos-
sunt, id quod contra Socinianos invictis argumentis demonstra-
runt *Magnif. & Max. Rever. Dn. D. Calovius, Tom. 2. c. 10. Q. 3. p. 511.*
Magnif. Dn. D. Scherz. Colleg. Anti-Soc. cap. 5. Voetius Disp. select.
Part. 1. p. 252. & Hornbek. conf. Soc. p. 343. seqq. nihil impedit,
quò minus idem de contingentibus sub præsuppositione affirme-
tur. Quid interest (ait Fons. l. c.) ad certitudinem, utrum di-
cas, si hæc occasio se obtulerit, illud eveniet, an si hæc oc-
casio se obtulisset, illud evenisset. Æque certum est, si Chri-
stus dixisset Petro post resurrectionem suam, si nocte illâ me de-
relictò extra urbem mansisses, non me negasses, quæ propositio
esset purè conditionata, quia Petrus nec mansit extra urbem, nec
Domini sui abnegationem intermisit: ut certum fuit, quod illi di-
xerat ante passionem: In hac nocte in urbem videlicet ingressus, &
in atrio Pontificis militibus junctus me negabis, ex quâ proposi-
tione absolutâ hæc conditionata de futuro contingenti eventu
formari posset: Si hac nocte atrium Pontificis ingressus, militibus
te junxeris, me negabis. Urgent idem argumentum, *Vasquez. in 1.*
Thom. 4. 13. Disp. 67. n. 11. & Gabr. Penottus Lib. 3. Prop. Lib. Hum.
c. 29. ex quibus plura, quæ huc pertineant, peti possunt.

§. 11. VI. Deniq; provocamus ad receptam in humanis consul-
tationibus rationem, quæ scientiam dari in Deo mediam fatetur.
Omnibus hominib; insitum est à naturâ (rectè infert Penottus l. c.)
ut de futuris eventibus divina consulant oracula. Omnes autem
consultationes humanæ supponunt esse in Deo notitiam istorum
contingentium conditionatorum, v. g. quid futurum militi, si in
bellum

bellum proficisceretur, victorie domum rediturus esset, an profusus non. Quid futurum nautæ, si maris fluctibus navem commiserit, & ejusdem generis alia. Gemina hinc occurrunt apud *B. Slevogt. Diss. Academ. p. 402.* cujus verba etiam allegant & laudant, *Dn. D. Rudrauf. Trig. diss. p. 40. & Hundesh. in Theol. Nat. p. 192.* Alias rationes, quæ in præsentis negotio à Scholasticis cumulatim proponi solent, brevitatis studiosi omittimus. Satis enim, ut opinamur, ex allatis liquet, dari in Deo futuribilium ante actum voluntatis notitiam, adeoq; peculiarem distinctamq; ratione ratiōatâ divinæ scientiæ quasi speciem, quam propter objecti, quod nec ad simplicem intelligentiam, nec visionis scientiam pertinet, diversitatem admitti posse ostendimus, & evincere jam operosiùs super sedemus, ne eadem iterando eandem cum Æschylo, quem Aristophanes culpat, quod *διὲ ταυτὸν εἶπε*, reprehensionem incurramus.

§. 12. Dispiciendum jam erit de argumentis contrariis, nostræ sententiæ oppositis, quæ à Dominici sectatoribus, Reformatis nonnullis afferuntur. Ne autem Andabatarum more congrediamur, prænotandum erit ad cognoscendam ante *συπράξενος ἑδσιν* ab adversariis non negari futuribilium in DEO scientiam, quam *λευκᾶδι φωνῆ* concedunt, si scilicet decretum Dei ad hunc vel illum effectum futurum causam secundam prædeterminans præcedat: sed, quod futura conditionata anteceden-ter ad actum liberæ voluntatis à divino intellectu præsciantur, adeoq; peculiarem, & in rationis signo distinctam divinæ scientiæ speciem constituent, cum id adversari videant absoluto quod Deo adscribunt, decreto, prorsus inficiantur. Ex professo sententiam nostram oppugnavit *Adrianus Herebord. in Melet. Philos. Volum. 1. Diss. 30.* cujus argumenta in præsentis subincudem revocare, & quid ponderis ac momenti ad convellendam assertionem nostram habeant, inquirere animus est.

§. 13. Primum objicit l. c. Objectum infallibilis omniscientiæ debere esse necessarium, quod omniscientiæ infallibilitas in necessitate objecti fundetur, neq; dari possit certitudo mentis s. subjectiva citra omnem entis certitudinem seu objectivam, cum omnis scientiæ certitudo præsupponat existentiæ certitudinem, si non realem & actualem, saltem idealem & causalem; Tale quid
autem

autem in Objecto scientiæ mediæ non deprehendi, quod nullo modo necessarium neq; necessitate consequentis neq; consequentiæ: Non consequentis, quia nihil in re præcedit, quod talem necessitatem causaret, nec consequentiæ, quod implicet effectum aliquem sequi necessariò necessitate consequentiæ aut infallibilitatis ex antecedente aut causâ, quæ aliter atq; aliter se habere potest ac deficere & impediri per concursum aliarum causarum, nisi talis causa determinetur ad talem effectum ab aliâ causâ superiori, &c. Hæc ille incassum. Negamus enim (1.) Objectum infallibilis scientiæ esse tantum necessarium. Complectitur divina omniscientia uno & indivisibili actu omnia tam præterita & præsentia, quàm futura, eaq; seu necessariò seu contingenter eventura. Id quod Herebodus ipse non diffitetur in *disp. 29.* in quâ §. 10. expressis verbis conclusionem format: Deus cognoscit res non tantum præteritas ac præsentis, sed etiam futuras s. contingenter s. necessariò, idemq; probat contra nonnullos Sophistas scientiam futurorum contingentium vellicantes & in dubium trahentes duplici ratione, quarum alteram petit ex absurdo, quod è contrariâ sententiâ profluit, Deum scilicet, si non cognosceret futura contingentia, esse in potentiâ passivâ illa cognoscendi, quia nulla repugnantia cognoscibilitatis à parte contingentium, alteram à cognitione contingentium in præsentialitate, quæ Deus ante, quàm existerent, & cum adhuc in futuritionis statu essent, necessariò noverit, cum aliàs, si ignorasset, contingentibus rebus actu productis Deus ex non sciente factus esset sciens, quod perfectioni divinæ repugnat. Jam si Objectum divinæ scientiæ fatente Herebordo sunt futura contingentia, Deus ea infallibiliter certissimèq; cognoscet. Modus enim sciendi divinus est certissimus atq; infallibilis, quod concedit Herebodus *disp. 30.* quæ decipi est ex errore, qui in Deum non cadit. (2.) Negamus omnem ubiq; scientiæ infallibilitatem radicari in necessitate objecti, nec certitudinem dari subjectivam sine objectivâ. Largimur facilè, id quidem valere de imperfecto multisq; in rebus deficiente sciendi modo, qualis cadit in intellectum creatum, cujus certitudinem ab objecto multis modis juvari posse non inficiamur, sed idem de perfectissima, invariabili & immutabili cognoscendi ratione, quæ in Deum cadit, dicere absolum fuerit, quippe quæ nullo adjumento intellectu

tionem

ationem perficiente indiget. Dei visio (verba sunt *B. D. Danhaueri HoP. Spir. Calv. Phant. 3. p. 778.*) verè est *αυτοτελής*, se ipsâ perfecta, vertitur intra semetipsam, nec perficitur ab objecto foris posito. (3) Negamus objectum mediæ scientiæ nullo modo esse necessarium. Etsi non sit necessarium necessitate consequentis, quæ locum habet in iis, quæ absolute in se & suâ naturâ sunt necessaria, nil tamen obstat necessitate consequentiæ esse tale, quod materialiter sæpè, cum contingente convenit, obtinetq; quando necesse est aliquid esse, vel non esse, etsi neutrum in se sit necessarium. Non loquimur de futuris conditionatis, in quibus cum conditione necessario nexu effectus cohæret, qualia sunt, quando dico, si ignis applicetur stipulis, comburet eas, in quibus necessitatem consequentiæ dari nemo inficiabitur, sed de illis conditionatis, in quibus conditio contingenter effectum infert. Etsi effectus ille non egressus sit è causâ antecedente necessariâ, infallibili tamen apprehensione cognoscit DEUS, si in actu conditio & causa sine quâ non poneretur, rem esse certò secuturam consequentiâ optimâ ex positione rei, aut antecedentis, quod num futurum aliquando & rationem Entis habiturum sic divinus intellectus determinatâ veritate novit.

§. 14. Colligit 2. Herebordus: Propositiones de futuro contingenti secundum se non habent determinatam veritatem neq; etiam sunt determinatè falsæ; alioqui tolleretur contingentia, quia contingens, ut sic se habet omninò indifferenter ad utrumlibet: Ergo ante decretum divinæ voluntatis prædeterminantis liberum arbitrium ad alteram partem contradictionis vel contrarietatis non est scibile, quid in particulari faciet homo aut liberè facturus esset, si constitueretur in talibus circumstantiis. At tanti roboris nodus hic non est, ut solvi nullâ ratione possit. Dicimus (α.) Dari determinatam veritatem de futurilibus superius ad oculum demonstratum esse ex contradictoriarum propositionum determinatâ veritate, quæ de futuris conditionatis formari possunt. Et licet non pateat illa certâq; sit creato intellectui, eam tamen intrinsecè sensuq; composito uni contradictoriarum competentem infinita divini intellectus perspicacia præcognoscendo assequitur. (β.) Ratio, quâ colorem suæ opinioni addere nititur Herebordus, petita est ex Aristotele, qui lib. I. *Ἐπιπένη* c. 9. in propositionibus contradictoriis de futuro contingenti non deprehendi asserit determinatam veritatem; sed esse potius indeterminatas & quasi suspensas ad utramq; tam veritatem quàm falsitatem, eò quòd determinatio ad alterutrum oppositorum, & indifferentia s. contingentia impossibiles sint. Enim v. quàm hæc aliena à Philosophicâ veritate sint, jampridem demonstrarunt Philosophorum

C

phorū plurimi & ex Scholasticis *Molin. 1. part. Q. 14. art. 13. d. 14. Vasquez. 1. Tho. 13. Q. 14. d. 67. Aphonsus de Mendox. Contr. Theol. q. 7. p. 534. Hurt. de Mendoxa p. 2. Disp. 9. Sect. 6. Subf. 2. itemq; Suarez. cit. lib. 2. c. 5.* è quo breviter solutionis fundamenta notabimus. Determinata veritas cum contingentia rei non pugnat. Dicitur enim effectus futurus contingens & determinatus, sed diverso respectu. Contingens ratione causæ & virtutis ejus, quatenus illa causa potest agere & non agere, effectum producere & non, determinatus ratione operationis, quatenus causa, à quâ producibilis est & non producibilis, impletâ conditione reverâ effectum productura est. Excludit itaq; effectus determinatè futurus indifferentiam non causæ, nec facit, ut effectus non sit contingens; sed actionis, efficitq; ut effectus ad futurum & non futurum non ampliùs indifferentem se habeat. *Vid. Stevoge. Disp. 3. de indiff. Conc. p. 615.* Deinde magna datur disparitas inter determinatè verum & necessarium, nec enim ea, quæ determinatè vera, & entitatem habent determinatam, statim sunt necessaria, cum aliàs sequeretur, effectus omnes, qui à causa operante liberè proficiscuntur, & actu producuntur, esse necessarios, quod foret *σιδνεγξυλον. (γ)* Refutat hoc argumentum propria Herebordi hypothesis. Nam cum futura contingentia concedat in præcedenti dissertatione ab infinito intellectu cognosci, nil autem cognoscibile sit, nisi quod in se determinatè verum, statuere necesse habet propositiones de futuro contingenti secundum se habere determinatam veritatem, seu illud contingens futurum fuerit absolutè s. conditionatè tale. Par enim utriusq; est conditio. Eodem modo res se aliqua habet ad fore aut non fore absolutè, quoad fore aut non fore sub conditione, ut, sicut inter fore & non fore absolutè non est medium aliquod; sed altera pars distinctè est vera, altera falsa, sic etiam inter fore & non fore sub conditione alterum determinatè & distinctè verū, alterum falsum, nisi quod in priori contradictione effectus sine conditione, & absolutè affirmetur futurus, in posteriori v. cum conditione. (δ) Ad dimus eadem difficultate, quâ nostram urgeri sententiam existimat Herebodus, reverâ premi contrariam. Revera enim submovet contingentiam, omnemq; tollit indifferentiam, qui non nisi ad antecedens decretum divinæ voluntatis prædeterminantis arbitrium creatum ad alteram partem contradictionis, vel contrarietatis, adserit esse scibile, quid in particulari facturus esset homo, si in talibus vel talibus poneretur circumstantiis. Quod si illa prævisio & præscientia dependenter esset à divinâ præordinatione, præmotione & prædeterminatione, futuribilia illa, si fierent, non nisi necessariò Deo ita præfiniente fierent, omnisq;

mnisq; exspiraret agentis naturalis libertas, eiq; superstructa contingētia intrinseca. Vis decreti prædeterminativi necessitaret effectum, nec posset aliter aut non, operari causa, nec ulla foret indifferentia voluntaris liberæ aut contingentia, quoniam implicat, aliquid esse indifferens, libertatemq; habere specificationis & exercitii, & à divino tamen decreto ad speciē exercitiumq; actus physicè præfiniri & prædeterminari.

§. 15. Tertium, quem ceu firmissimum suo iudicio mediæ scientiæ intorquet, arietem deducit ex dependentiâ inter causam primam & effectus h.e, inter creatorem, & creaturam, quam per Scientiam Mediam tolli existimat. Impossibile enim esse, ut aliquis effectus vel sit vel intelligatur futurus in aliquo cásu, nisi dependenter à suprema causâ efficiente, cum omnia Entia creata non sint nisi tot emanationes à primâ causâ, à quâ dependent inesse & inoperari, ut à Sole radii, positâ autem hâc Scientiâ Mediâ substerni ei pro objecto liberam voluntatis sub tali conditione determinationem, quæ à nullâ causâ superiori dependet, proficisci enim à voluntate creatâ tanquam à principio primo determinante, non autem à decreto Dei præmovente, quod tamen prima & universalissima causa efficiens, à quâ non minus, quàm à suâ causâ proximâ dependeat effectus omnis s. absolutus s. conditionatus. &c. Enim verò ut periculum, quod inde Mediæ Scientiæ imminet, avertamus, dicimus. (1) Dependentiam inter causam primam, & effectus causæ secundæ nulla ratione per scientiam conditionatam tolli. Certissimum est futurum omne, quâ ponit existentiam, à primâ causâ dependere, nequit autem dici actu dependere, nisi actu ponat. Inficiamur itaq; effectum illum sub hypothesi futurum quâ actuandum non esse dependentem. Si actum entitativū impletâ conditione consequeretur futuribile, dependeret maximè à causâ primâ, licet non ab eâ ante determinatum, cum à causa universali non profluat determinatio, [quatenus illa dicit præmotionem ordine & actu priorem concursu voluntatis, non quatenus prædeterminationi contradistincta concursum notat cum voluntate humanâ actu simultaneo, ut distingvit *Svarez. l. 1. de Auxil. Grat. c. ult. n. 9. V. B. Hülfemannus Diatr. Schol. de Aux. Grat. Q. 9. §. 9 p. 301:*] Sed à particulari, cum quâ universalis unâ numero actione in effectum influit. Dicimus ergo (2) cum assertionem nostrâ, quâ liberum voluntatis arbitriū positâ conditione se determinare ad hunc vel illum effectum producendum, adeoq; effectum conditionatum in illud ut principium primum determinans resolvi statuimus, optimè convenire causæ secundæ à primâ dependentiam. Sublato enim præmotionis & prædeterminationis decreto, quod nec in absolutè nec conditionatè futuris ob rationes al-

legandas concipiendum, non negatur simul decretum omne. Remanet adhuc Generale decretum actualis influxus divini, divinæ sustentationis, cooperationis, conservationis, directionis & ordinationis, quod decretum omnino concipiendum est in hypothese futuri effectus inclusum, quod, si ille effectus in actum deducendus & è futuribilitatis statu egressurus esset, causaq; agens positâ conditione sese determinasset, ab æterno DEUS decrevisset simultaneâ cooperatione in actionem, & cum actione in effectum concurrere. *Conf. Rudrauf. Trig. Dissert. p. 40.* Concurfus prævii decretum, aut præmotionem Physicam virtutem creaturæ activam excitantem, applicantem & ad speciem vel exercitium actus naturalis moralisve ordinariè prædeterminantem, quam tanto opere Herbordus non solum præsentis loco, sed & passim plurimis aliis *Select. Disp. 20. n. 2. 3. seqq. Coll. Ethic. Disp. 11. & Exercit. 17. n. 2. 3. seqq.* urget & inculcat, nos nullatenus admittimus, utpote cum creaturæ voluntatis libertate, ejusq; quidditativo conceptu indifferentiâ ad utrumq; oppositorum impossibilem, in divinam sanctitatem, & justitiam summè injuriam, pietati deniq; è diametro adversam; id quod fusiùs demonstravit *Magnif. Dn. D. Calovius Syst. Theol. Tom. 2. cap. 18. Q. 7. p. 525.*

S. 16. Ratio IV. quam vehementer premere putat adversarios, hæc est: Scientia, ait, Media fatum inducit Stoicissimum, atq; adeò compedes injicit divinæ libertati. Nam si Deus ante decretum suum prævideat, quid facturus sit homo, in quocunq; rerum ordine, si in eo collocetur, omnia evenient necessariò & fatali quâdam necessitate, vel à casu respectu Dei, cum ex prævisione futurorum evenient, & prius sit, quod ipsa sint futura in re, & quod sint hæc aut illa in tali aut tali rerum ordine, quàm Deus illa prævideat, aut quàm decernat de iis, &c. Sed resp. (1) Fatalis illa & Stoica rerum necessitas nullatenus per scientiam mediam dextrè intellectam introducit, quin potius pronò alveo fluere dicenda est, ex absoluto illo & universali decreto prædeterminante antecedenter se habente ad quoscunq; creaturarum effectus & futura, s. absolutè s. conditionatè talia. Cum enim suprema illa, uti sæpiùs dictum, & irrefragabilis à primâ causâ proficiscens prædeterminatio, quam adeo crepat Herbordus, necessitet voluntatem creatam, eiq; omnem libertatem adimat, nec concedat, ut in aliam actionem, aut actionis speciem se determinare possit, adstricta ad prædeterminatum & præfinitum effectum, nihil certè id aliud est, quàm Stoicorum fatum & ferreus, ut Poëtæ dicitur, ordo. Unde non immeritò argui posse adversarios, quod fatum propugnent fatalissimum, monet *Magn. Dn. D. Calov. Syst. Tom. 3. p. 1211. (2.)*

olva

Ἀνακόλυτον est, si Deus ante decretum suum præcognoscit futura con-
 tingentia, E. evenient necessariò. Neq; enim prævisio & præscientia Dei
 res futuras necessitat, nec res ideò necessariò fiunt, quia Deus eas præsci-
 vit, sed contrarium obtinet, juxta communem regulam: Res non depen-
 dent à cognitione, sed cognitio à rebus. dependentiâ scil. impropriâ, in-
 tellectuali non subjectivâ seu accidentali aut effectivâ seu causali. Si
 prævisio causativam necessitatem inferret rebus, sequeretur (α) eam
 formaliter in res influere, quod non est. Influit quidem velut per acci-
 dens, quatenus decreto cooperationis, permissionis & gubernationis est
 juncta, sed non formaliter causat, aliàs elicerentur plurima absurda πο-
 ρείματα; Deum esse causam actionum malarum, quâ talium, quippe
 quas etiam per oppositum bonum præcognoscit, non solùm quoad ma-
 teriale, sed & quâ formale, & adhærentem ἀταξίαν: Deum propriam o-
 perari essentiam, quippe quam etiam perfectè novit: imò facere infinita,
 quia etiam ea Deus cognoscit: operari omnia, quæ scit, quod tamen non
 facit, cū etsi ex naturæ necessitate omniscius, nil tamen efficiat, nisi quod
 vult (β) rem præscitam inesse suo objectivo συγκαταβατικῶς & in or-
 dine ad nostrum concipiendi modum ipsam sequi præscientiam, quod
 est ἀδύνατον, cum necesse sit rem, qua est objectum præscientiæ in signo
 rationis præscientiam antevertere, si non formaliter, saltem objectivè,
 quia nil potest esse scibile, nisi certâ ratione detur. (γ) Negamus etiam
 hanc consequentiam, quòd ex prævisione ejus, quid homo facturus in
 tali vel tali rerum ordine, omnia fiant necessariò vel ex casu respectu
 Dei. Subjungit quidem rationem, quod scil. hoc modo prius sit, quod
 sint hæc aut illa in tali vel tali rerum ordine, antequam Deus prævideat,
 verùm hoc ἔδειν πρὸς ἑω. Concedimus futuribile in se, quam diu
 manet futuribile, quoad esse objectivum, in signo & puncto rationis an-
 tecedere præscientiam adeoq; prioritatem aliquam, quâ nostrum con-
 ceptum dari, sed actualem rei futuribilis existentiam, realemq; produ-
 ctionem, antequam Deus prævideat, dari vel concipi posse nequaquam
 largimur. Id enim qui asserunt, non effugiunt i. queos, quos nostræ sen-
 tentiæ tendit Herbordus. Inde enim omninò fluere necessitatis vincu-
 lis adstrictum esse Deum, nec posse providere aut dirigere, quia præ-
 scientiam, quam providentia in signo rationis subsequitur, in esse a-
 ctuali anteverterent. Res possent fortuitò dici evenisse à parte Dei ta-
 lia minimè opinantis, quæ omnia meræ φληναφίαι sunt, cū Deus a-
 gens sit liberrimum, eiq; utpote omnia consilio suo dirigenti nihil pos-
 sit esse fortuitum aut casuale, licet respectu nostri causæq; secundæ &
 particularis habeatur fortuitum & casuale. (δ) Deniq; observandum

extera, quæ prolixè differt Herebordus, frustra & gratis ab eo proferri. Neque enim statuitur à nobis futura ista decretum Dei antevertere, quoad actualem eorum productionem, aut independētem positionem, quasi nec penes potentiam Dei & voluntatem liberam sit res illas producere vel non, hoc vel isto modo ipsarum existentias vel productiones disponere, ordinare & dirigere: sed tantum quoad futuribilitatem. Conf. Rudrauf. l. c. p. 43.

§. 17. Succedit quintum *ἔγκλημα*, quo jugulum sibi petere sententiæ nostræ, eamq; prorsus de ponte præcipitare videtur. Argumentatur ita: Si datur Scientia Media, quâ Deus antecederet ad omne decretum suæ voluntatis cognoscat futura contingentia conditionata, Essentia divina in Ideis suis necessariò ac naturaliter repræsentabit quædam ex his, quæ liberè sunt futura, quia repræsentabuntur non in divinis decretis, sed antecederet ad ipsa: At hoc absurdum est & uno absurdo dato multa sequuntur. 1. quòd creaturæ non pendeant ex liberâ electione voluntatis divinæ. 2. quòd non possit Deus aliud facere quam facit. 3. quòd tollatur omnis providentia & gubernatio circa creaturas &c. Sed, ut hunc impetum declinemus, dicimus (α) Quòd absurdum pronunciat Herebordus præconceptâ opinione prædeterminationis & præfinitionis imbutus, id nobis, qui Prædeterminationem & præfinitionem, (quos terminos æquipollere ait *Alvarez. disp. 22. de Auxil. n. 17.* etsi discrimen aliquod agnoscit *Svarez. de Aux. l. 1. c. 16. n. 8. vid. B. Hülfem. de A. G. Q. 2. p. 306.*) in actibus naturalibus nullam admittimus, absurdum non videri. Quæ enim exinde promanabit absurditas, quòd intellectui divino perfectissimo & perspicacissimo sciendi modo pollenti scibilia omnia necessariò pateant, & immensæ ejus scientiæ omnia naturaliter offerantur, & repræsententur secundum cujuslibet formalem, specificam propriamq; rationem. Omnem in Deo scientiam certâ ratione esse & dici posse naturalem, §. 2. ostensum fuit. (β) Ultrò fatemur omne illud, quòd creaturæ rationem habet, pendere ex liberâ electione DEI atq; eâ ratione res etiam futuribiles, quæ rationem & participium Entis aliquando habituræ & actu ipso futuræ essent, omninò dependere à divinâ voluntate. Quam diu autem non habent verum esse reale, nec formaliter & actu è futuribilitatis statu egressi sunt, in propatulo est, neque dependentiam dicere posse ratione illius statûs, in quo sunt, etsi in respectu ad futurum tempus habito omninò dicant dependentiam. Confunditur hîc esse actuale, quòd omne futurum sub hypothesi à divinâ voluntate liberè habet, & esse cognitum, quòd in divino intellectu necessariò ante omnem voluntatis actum habet. (γ) Potentia in Deo agendi, &

di, et si in se una sit & simplex, dupliciter tamen considerari potest, vel ut
conjuncta cum communi & universali decreto voluntatis, & ordini à
Deo semel instituto alligata, quæ potentia communiter ordinata dici
solet, à quibusdam etiam ordinaria, licet minùs accuratè monente
Vasquez 1. Thom. Art. 6. disp. 106. n. 5. vel præcisè & secundum se saltem,
quæ Absolutæ nomine venit. Juxta illam certum est Deum non posse al-
liter facere quàm facit, sed non secundùm hanc, quod juxta hanc Deus
à communi lege quamprimùm ac quoties vult, abire potest, rei quæ futu-
ribilis, quam, si conditio in actu poneretur, eventuram esse certò novit,
pro liberâ voluntate actualem productionem impedire, vel sicut ali-
ter moderari & dirigere. Unde per se patet (d) non tolli providentiam
& liberam circa creaturas gubernationem. Omne enim futuribile, quâ
esse creaturæ adepturum, à divinâ directione & διοίκησις, quâ potissi-
mum absolvitur providentia, excludi non debet. Subjacet illud libet-
tatis Dei providentis actui, & quod ab æterno Deus præcognoscit, ut
futurum aliquando cum omnibus suis modis, circumstantiis & condi-
tionibus, circa illud, quâ est revera actuandum, liberè disponendo &
hac vel aliâ ratione gubernando versari potest. (e) Facile solvuntur quæ
addatas Responsiones excipere videtur Hereb. Cùm enim prædetermi-
nativo decreto, in quo actualem rerum futuritionem prævideri putat,
superstructa sint, quod nos ceu τῶν πῶτον ἰεῦδος rejicimus, per se statim
concidunt. Alia decreta Dei libera ab actuali rerum existentia non
posse removeri sæpiùs professi sumus.

§. 18. Ultimo, quod subnectit, argumento non est, quod diu immo-
remur, cùm ad præsens forum præcipuè non spectet, nec nostro adeò,
quàm Jesuitarum adversetur asserto, qui sub hâc Scientiâ Deum intue-
ri hominem vel semet ipsum convertendum vel non, falsò statuunt, de-
cretum quæ adeò de Electione non ex prævisâ fide, quæ Orthodoxorum
est sententia, sed bono usu liberi arbitrii suspendunt. Unico tantùm
nodo, qui & nostræ sententiæ impedimento esse videtur, quærendus
erit cuneus. Existimat Hereb. per Mediam Scientiam omnem è medio
tollì in actionibus naturalibus & moralibus libertatem arbitrii, id quæ
inde, quòd, si Deus ante voluntatis suæ actum præsciret Petrum in tali-
bus vel talibus constitutum circumstantiis potius consensurum esse
quàm dissensurum objecto sibi proposito, tum ille consensus procul
dubio proveniret è naturali complexione aut individuali Petri proprie-
tate vel aliâ causâ naturali, atque hâc ratione voluntas hominis in tali-
bus vel talibus circumstantiis constituti esset per naturam seu naturali-
ter determinata ad unum, omnis quæ hâc ratione exspiraret libertas. E-
nim-

n̄imverò paucis huic ἐγκλήματι obviam itur. Dicimus (1) nullam
 esse connexionem, quæ ea, quæ ex naturali complexione aut causâ
 naturali fiunt, statim necessaria, nec à causa liberè agente profecta esse
 inferat. Plurima enim, quæ contrarium suadeant, licet adducere exem-
 pta. Ita Homo per naturam est risibilis, nec tamen ideò necessario
 actu ridet. Ita propensio ad edendum & bibendum fluit ex causâ na-
 turali, ipsaq; naturalis est, & tamen comestio ipsa libera dicenda erit,
 quia etiam intermitteri potuisset. Multi ad vitia, ingluviem, comessa-
 tiones, libidinem, aliaq; ex naturæ suæ perversitate feruntur, quæ si
 quis ab illis necessitate aliquâ urgente committi dixerit, ridiculus fue-
 rit. Fures ita & latrones immunes se præstare à suppliciis facillimè
 possent, ubi cogente naturâ cum reluctantiâ ad cædes & rapinas ob-
 torto collo pertractos se esse affirmaverint, (2) Lulum committi dici-
 mus in terminis naturale & naturaliter, quos diversimodè accipi, va-
 riamq; induere significationem, iis, qui per transennam τὰ τῶν μετὰ
 φυσικῶν ἀεργαύλια inspexerunt, est exploratissimum. Quando con-
 sensus ille ad exercitium & speciem actionis è causâ naturali proficisci
 dicitur, *naturale* intelligitur contradistinctum τῶν contra præter & su-
 pra naturam, at, quando voluntas per naturam seu naturaliter determi-
 nata ad unum, adeòq; omnis adimi libertas statuitur, naturale æqui-
 pollet necessario & contradistinguitur fortuito & casuali, quæ diversa
 terminorum acceptio argumentum ἀσύστατον reddit.

§. 19. Animus erat assertâ & ab adversariorum telis vindicatâ Sci-
 entiâ Mediâ pauca attexere de medio, quo Deus in cognoscendo futura
 conditionata utatur, non quidem à parte intellectûs divini, in quo me-
 dii locum sustinere infinitam ejus & æternam vim & efficaciam apud o-
 mnes in confesso est, sed à parte objecti, in quo determinando Scholasti-
 ci acerrimè inter se multisq; in locis satis intricatè decertant: Verùm
 cùm chartæ angustia nos ab instituto revocet, prolixioribus esse non li-
 cet. Ut uno fasce dicenda complectamur tutissimâ viâ eos incedere ar-
 bitramur, qui cum *Svarexio de fut. cond. lib. 2 c. 7.* sufficere ad divinam
 futuribilium cognitionem infinitam intelligendi sciendiq; virtutem,
 nec ullo alio modo aut medio ex parte objecti supremum Numen indi-
 gere statuunt, eâ potissimum ducti ratione, quod posito medio certo
 intuitûs divini periclitetur simplicitas, nec Deus omnia unicâ applica-
 tione intueri, (quâ phrasi cum Clemente Alexandr. utitur *Svarex. Me-
 taph. disp. 30. sect. 15. n. 36.*) sed unam eandemq; rem pro diverso tempore
 modò mediatè, dum adhuc in futuritionis statu est, modo immediatè,
 cùm actu esse incipit, cognoscere dicendus sit, quod alienum est à divini
 intellectûs perfectione, unitate & simplicitate, quâ fusiùs asseruit *Tho-
 mas 1. Part. Q. 14. art. 7. & in b. l. Vasquez. Del Bene disp. 4. Q. 28.*







B.I.G.

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue

Farbkarte #13

M. A.
 PHILOSOPHICA
 IONE:
 onveniat
 Media?
 RESIDIO
ac Preclarissimi
 II Schwarzen/
 Pomeran,
 iorum PROMOTORIS
colendi,
 m Academiã
 A. C. clò lbc LXXVIII.
 n Αγορέψει submitto
 SPONDENS
 ROSTEUSCHERUS,
 ensis,
 consuetis.
 ERGÆ,
 MUNDI Ziegenbeins.

